

si libet, intres. Erat enim aqua putrida et fimosa ex sordibus totius curiæ collecta. Illa subridente, et præcepti transgressionem abhorrescente, subjunxit miles: Volo autem pœnam addere. Si fueris obediens, quadraginta marchas argenti a me recipies; si autem non, totidem mihi solves. Et placuit ei. Ille vero ipsa ignorante secretos custodes paludi adhibuit. Mira res! ab illa hora matrona tam honesta et tam verecunda nunquam per curiam transire poterat, nisi ad prædictam paludem respiceret, et quoties balneabatur, de eadem palude tentabatur. Die vero quodam exiens balneum dixit pedisseque suæ: Nisi ingressa fuero paludem hanc, moriar. Statim succingens se, cum circumspexisset et neminem videret, comitante ancilla ipsa, aquam fetidam usque ad genua intravit, et hinc illucque deambulando bene concupiscentiæ suæ satisfecit; quod statim nuntiatum est militi. Ille gaudens mox, ut eam vidit, ait: Quid est, domina? Fuisline hodie bene balneata? Respondente: Fui. Adiecit: In dolo, vel in palude? Ad quod verbum tacuit confusa, cognoscens suum excessum, ei non latere. Tunc ille: Ubi est, domina, constantia vestra? Eva villus tentata fuistis, tepidius restitistis, turpius cecidistis. Reddite ergo, quod debetis. Et cum hæc non haberet, unde solveret, omnia ejus vestimenta pretiosa tulit, et per diversas personas distribuit, sinens per aliquod tempus eam bene torqueri. *Discipul. Prompt. Lit. 0. ex. xiii.*

AXIOMATA.

Prima virtus Monachi est, hominum de se judicia contemnere. S. HIER. ep. xxvi.
Quæ supra te, nihil ad te.
Cæcus de colore non judicat.
Quod tua non refert, percontari desinas.
Medice, cura te ipsum.

AUCTORES.

Joannes Buseus, in *Panario*. V. eodem.
Nicolaus Lancelius, opusc. 9, toto.
Jeremias Drexelius, in *Amussi*, lib. II, cap. vii.
Ludovicus Granatensis, in *Locis Communibus*, fol. 389.

Henricus Engelgrave, in part. I, *Lucis Evang. emblem.* xxix.

Matthias Faber, conc. iv, in *Dom.* 48, post *Pent.*

Thomas Stapletonus, text. II, in *Dom.* 3. *Quadr.* et *Dom.* 1, post. *Pent.*

Josephus Langius, in *Polyanthæa*, V. eodem fol. 616.

Josephus Mansi, in *Bibl. morali* tr. XLII.

JURAMENTUM.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est tacita vel expressa Dei, tamquam primæ et infallibilis veritatis, in testem alicujus rei vitiosa invocatio. Et consistit in eo, quod jurans, sine legitima causa, quantum est in se, cupiat, ac velit, Deum id, quod jurat, testari (sive in hac, sive in altera vita) et manifestare, tamquam quod ab ipso sit cognitum ac verum. BUSEUS. I. III tr. II. c. II. Ex. S. THO. II. 2 q. 89. m. 1.

DIVISIO. — Divitur 1. in *Invocatorium*, seu *Contestatorium*, et *Execratorium* seu *Inprecativum*. Illud est quo Deus simpliciter in testem invocatur; istud est, quo non solum ut testis, sed etiam ut iudex vocatur, cum scilicet jurans aliud quiddam Deo puniendum subjicit, si aliter se res habet, quam ipse affirmaverit, vel negaverit. Dividitur 2. in *Assertivum* et *Promissivum*. Illud est, quo præterita vel præsentia simpliciter affirmantur, aut negantur; hoc autem, quo aliquid futurum promittitur. Dividitur 3. in *Tenerarium*, quando sine iudicio, id est, necessitate aut utilitate juratur; *Injustum*; quo res illicita juramento confirmatur; et in *Perjurium*, quo Deus in testem rei falsæ invocatur. *Ibid.*

ACTUS ET GRADUS. — Primus est, *solis verbis simpliciter prolatis Deum in testem invocare*; uti facere solent, qui per Animam jurant.

Secundus est, *etiam corporale signum in contestationem sui Juramenti adhibere*; ut cum quis digitis binis erectis, aut super Evangelium positus jurat.

Tertius est, *etiam pœnæ cujuspiam imprecationem adficere*; ut cum quis ait, se cupere, ut Deus æternæ damnationi eum adjudicet, si falsum dixerit.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Qui jurat in terra, jurabit in Deo, *Amen.* ISAAE, LXV, 16.

Et jurabis: Vivit Dominus in veritate, et justitia, et iudicio. JER. IV, 2.

Homines per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. HEB. VI, 6.

Non est scientia Dei in terra, mendacium, furtum, perjurium innundaverunt. *Ibidem.*

FUGA. — Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. EXOD. XX, 7.

Non perjurabis in nomine meo, ut nec pollues nomen Dei tui. LEVIT. I, 2.

Non usurpabis nomen Dei tui frustra; quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit. DEUT. V, 11.

Audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis: Non jurate omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus. MATTH. V, 12.

Ante omnia, Fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester, *est, est; non, non*, ut non sub iudicio decidatis. JAC. V, 12.

DAMNUM. — Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis. ECCL. III, 9.

Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo ipsius plaga. *Ibid.*

Loquela multum jurans, horripilationem capiti staluert, et irreverentia ipsius obturatio aurium. ECCL. XXVII, 15.

Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. ZACH. V, 2.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Age die, ob quam causam introductum est juramentum? Fecit olim pacta Abraham, et immolavit victimas, et nondum erat juramentum. Unde igitur ingressum est? Quando mala creverunt,

quando omnia simul sursum ac deorsum confusa sunt, quando ad Idololatriam inclinarentur, tunc sane quando infideles apparuerunt, invocant Deum testem quasi fidei-jussorem dantes satisfacturum. Juramentum enim est fidejussio, ubi mores fidei non habent. S. CHRYS. hom. IX, in *Act. Apostolorum*.

Si jurare cogaris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades. Quæ infirmitas utique malum, unde nos quotidie liberari deprecamur, cum dieimus: Libera nos a malo. Sed nemo novit, nisi qui expertus est, quam difficile sit, consuetudinem jurandi extinguere, et nunquam temere facere, quod nonnumquam facere necessitas cogit. S. AUG. I, II, de *Serm. Dom.* in monte c. xxx.

Bene prohibetur homo jurare, ne consuetudine jurandi, quia potest homo falli, etiam in perjurium probatur. Deus solus securus jurat, quia falli non potest. S. AUG. in *Ps.* LXXXVIII.

Qui contemnit Juramentum, illum despiciat, per quem juravit; illicque facit injuriam, cujus nomine creditur adversarius. S. HIERON. in *Ezec.*, I, V, c. xvii.

Jurare per execrationem gravissimum jurisjurandi genus est. S. AUG. in *Ps.* vii. Quacumque arte verborum cum jurat, Deus tamen, qui conscientia testis est, sic illud accipit, sicut ille jurator intelligit. S. ISIDOR. de *Summo Bono*.

Dei juratio, promissionis est confirmatio. *Id. super Ps.* LXXXVIII.

Juramentum magis indicium incredulitatis est, quam fidei. S. CHRYS. *sup. Ep.* ad *Ephes.* ser. II.

In dolo jurat, qui aliter facturus est, quam promittit, cum perjurium sit, nequiter decipere credentem. S. AGUSTIN. *super Ps.* Domini est terra.

FUGA. — Si simpliciter nominare Deum, non omnibus (Hebræis olim) fas erat, hoc certe quod in testimonium vocatur, quantæ audaciæ, dic, oro, quantæ insanæ? Quomodo enim non absurdum, servum quidem non audere Dominum nominatum, et sine honoris prælatione appellare, Angelorum vero Dominum temere et contemptim ubique jactare? S. CHRYS. hom. IX, in *Act.*

Laborare debetis, et congligere adversus consuetudinem vestram malam, malam, malam, valde malam, et tollere jurationem de oribus vestris. Cavete a falsa juratione,

caveat a temeraria juratione. Ab his duobus malis securissime cavebitis, si consuetudinem jurandi a vobis abstuleritis. S. AUG. s. 11. de Decoll. S. Joann. Bapt.

Vis longe esse a perjurio? Jurare noli. Falsa juratio exitiosa est; vera juratio periculosa est; nulla juratio secunda est. Id. s. 28. de Verbis B. Jacob.

Mentiri et jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veri amor, ut, quidquid dixeris juratum putes. S. HIER. ad Celent.

Multo tutius nunquam juratur, non quia peccatum est verum jurare, sed quia gravissimum peccatum est falsum jurare, quo citius cadit, qui consuevit jurare. S. ANN. s. iv. in Ps. l. cxviii.

Dico vobis non jurare omnino, ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, de facilitate ad consuetudinem, de consuetudine in perjuriis decidatur. S. AUGUST. l. de Mendacio.

DAMNUM. — Si jurisjurandi vis tanta fuit, ut ab Esau poterit auferre primogenituram, cum enim jurasset solum, noluit perjuri notam incurere; quibus tradentur supplicia, qui non solum jurejurando se obstringunt, sed etiam perjuriis jusjurandum violant? Si Esau ab iis, quæ eum damno suo pepigerat, recedere noluit, quomodo tu pacta, quæ pro salute tua fecisti, rumpe re audebis? S. ERN. de Morbo lingue.

Tantum mali habet juratio, ut, qui lapides colunt, timeant falsum jurare per lapides. Tu non times Deum presentem, Deum videntem, Deum scientem, Deum manentem, Deum in contemptores vindicantem. S. AUG. s. xxx. de Ver. Dom.

Non ita pungit ensis, sicut juramenti natura; non sic occidit gladius, sicut juramenti plaga. Scribe super parietem domus tuæ, etsuper cordis tui parietem, falcem illam volantem, et hanc ad maledictionem volare puta, et continuo ipsam recogita, sive aliam juramentum videas, cohibe, veta, et eorum inorum gere servorum. S. CHRYS. hom. xi. in Act.

Vides et tyrannidem, et filii cadem, et bellum civile, et pugnam, et jugulationes, et cruores, et infinita cadavera ex uno patratu juramento? Vides, quot homines tum volentes, tum invitos perjurio obnoxios unum fecit juramentum? Quot mala molitum est? Quot cædes patravit? Cum his au-

tem omnibus audisti Christi sententiam dicentem, quod non pejerare tantum, sed et jurare quomodocumque diabolicum est, et tota maligni machinatio. Audisti, quod utique juramenta sequantur perjuriam. Hæc, inquam, omnia congregans inscribere cordi tuo. Idem, hom. xix. ad Pop.

Utinam mihi liceret frequenter jurantium animas exuere, et ipsorum oculis subjicere vulnera et cicatrices, quas quotidie capiunt a juramentis. Nec admonitionis, nec consilii indigeremus; quoniam vulnere aspectus omni sermone potentius huic improbæ consuetudini adherentes a malitia abducere posset. Ibid.

Falx volans (quam S. Joannes in manu Christi vidit) velocissimum ultionis incursum significat juramentum sequentem; multorum vero cubitorum longitudo et latitudo vehementiam indicat et magnitudinem malorum. At ex celo volare significat et supremo tribunali judicium ferri, falcata vero forma inevitabilem designat supplicii sortem. Sicut enim quocumque falx incurrit, non solum secum arripit, verum et caput amputat, ita et pena jurantibus ingruens est difficillima, nec prius assistit, quam quod suum est tollat. Idem, hom. xvii. ad Pop.

Talium (jurantium) substantia aut ipsis viventibus est peritura aut, a malis hæreditibus est dissipanda, aut ad extraneos et inimicos hæreditas est ventura; non enim potest ad bonum proficere, quod congregatum est de malo. Idem, in Matth.

Assiduitas jurandi perjuri consuetudinem facit, usus jurandi ad perjuriis inducit, veritas juramento non indiget, firma sit sacramenti tui fides. S. AUG. de Soliloq.

EXEMPLA CATHOLICA.

FECA. — S. Augustinus de seipso sic loquitur: Timendo Deum abstulimus jurationem de ore nostro. Ecce voluimus vivimus. Quis nos audivit aliquando jurantes? Numquid non consueveram quotidie jurare? At ubi legi, et timui, luctatus sum contra consuetudinem meam, in ipsa luctatione invocavi Dominum adiutorem. Præstitit mihi Dominus adiutorium non jurandi. Nihil mihi facilius est, quam non jurare. Hoc ideo admonui charitatem vestram, ne dicatis, quis potest? O si Deus timeatur! O si perjuri expavescant! lingua frenatur, ve-

ritas tenetur, juratio tollitur. S. AUG. s. x. de Sanctis.

S. Gregorius Nazianzenus, ut longius a juramento abesset, etiam voto se adstrinxit, se non juraturum; quod laudabiliter constantia ad ipsam usque tumbam servavit. DÆREL. in Phœt. p. 30.

Laontius Antistes vitam S. Joannis Eleemosynarii describens ait: Primum et præcipuum ejus bonum fuit, quoniam omnimodis non juravit, quia Christus suis præcepit: Sit sermo vester: Est, est; non, non. Quod autem his abundantius est, a malo est. Ibid.

Comes Ariani, Eleazarus, non tantum ipse non juravit, sed nec in illo famulorum suorum jurandi licentiam vel minimam tulit. Ibid.

Duo mercatores Colonienenses cum in vendendis mercibus mentiri et multum jurare soliti, suadente Confessario, per annum a mendacio et juramento abstinentes, nihil propemodum vendere possent, ideoque Confessario hoc damnum questi, ab eo ad constantiam animati essent, ob continuatam abstinentiam usque adeo omnes emptores ad se traxerunt, ut brevi tempore dilissimi fuerint effecti. CESARIUS, l. III, c. xvii.

Olyssipone catechismus in maximo puerorum virorumque grege, non in templis tantum, sed in vicis, trivisiisque traditur; quanta cum utilitate, vel puerorum educatio testatur. Ex his unus cum audisset virum jam ætate provecum jusjurandum temere usurpantem, prope accurrit flexisque genibus: Per Deum, inquit, ne posthac jurato; nec enim istud leve peccatum est. Vir rubore suffusus abeuntem revocat puerum, et quod ei nomen esset, et quibus natus parentibus seiscitur, cum ei puer nihil referre dixisset: Non tu, inquit, puer es, sed Dei Angelus, qui tam salutare didisti consilium, atque sic habeto, me non commissurum in posterum, ut mihi excidat jusjurandum. *Ex letteris. Annual. Societ. an. 1781, pro Lusit.*

Tutuslymenus Hipponensis, cum quidam ipsi negasset quod ei debebat, commotus provocavit eum ad jusjurandum. Juravit ille, iste perdidit, sed isto perdente ille penitus periit. Dicebat ergo iste Tutuslymenus homo gravis et fidelis ipsa nocte exhibitum se fuisse ad judicem, et cum magno impetu et terrore se pervenisse ad presidentem excelsum quemdam et admirabilem

virum, cui parebat officium similiter excelsum; istum fuisse perturbatum retro revocari et interrogatum fuisse his verbis: Quare provocasti hominem ad jurationem, quem sciebas falsum esse juratum. Respondit ille: Negavit mihi rem meam. Respondum est illi. Et nonne melius erat, ut rem tuam, quam exigebas, perderes, quam animam hominis istius falsa juratione perimeres? Prostratus jussus est cædi, cæsus est tam graviter ut in dorso evigilantis vestigia plagarum apparerent. Sed dictum est illi, postquam emendatus est: Pareat innocentie tue, de cætero cave ne facias. Fecit ille quidem peccatum magnum et emendatus est. Sed multo gravius peccatum faciet, qui post istum meum sermonem, et istam meam admonitionem et exhortationem, tale quid fecerit. Caveat a falsa juratione, caveat a temeraria juratione. Ab his duobus malis securissime cavebitis, si consuetudinem jurandi a vobis abstuleritis. S. AUG. s. i. de Sanctis.

DAMNUM. — Saul antecessor Davidis, quia inconsiderato juramento obstrinxerat se ac populum, quod panem de mane usque ad vesperam gustaturi non essent, se quidem in gravissimum periculum homicidii, filium vero in manifestum vite discrimen adduxit. I REG. xiv. 24.

Jephthæ, quia temere juraverat, voveratque, se, si victor de bello rediret, Deo, quidquid primum reduci occurreret oblaturum, propriam filiam ob reverentiam juramenti occidere coactus est. JUD. xi. 41.

Herodes Rex quia saltatione filie delectatus, cum juramento promiserat dare, quodcumque postulasset ab eo, cum magno suo dolore caput S. Joannis Baptistæ in disco offerre debuit. MATTH. xiv. 7.

Virgo quædam in Saxonia, cum juvenis tenuis fortunæ, sed elegantis formæ nuptias promississet, ipsoque cautionem exigente, dixisset: Si alteri nupsero, Diabolus in ipsis nuptiis vivam me abripiat! ipso nuptiarum cum altero ditore contractarum die a Dæmone inter saltus abrepta, nec ullibi amplius conspecta est. DÆREL. in Phœt. c. xxviii.

Cum aliquando ad Sanctum Maxentium Abbatem duo homines morbo elephantia laborantes venissent, openque petissent, ipse sic eos allocutus est: Notis, Fratres, qua de causa ita Deus in vos deservit? Vos frequenter levissimis de causis sacrum ejus nomen sumitis, ac pejeratis, ideoque justo

Dei iudicio vos hæc calamitas premit, sed jam peccatum agnoscite, ac ad mentem redite, ut sanitatem consequamini. Quo dicto omnes ad orationem hortatus est, et oleo sancto eos unguens, sanos dimisit. *MARCB. tr. II, Hor. Past. prop.*

Audomari, cum civis quidam pecunias ab alio mutuas accepisset, certoque iterum die se restitutum, cum juramento promississet, id autem constituto tempore non servasset, sed potius dixisset, se supra corpus Audomari juramentum probaturum, quod nihil debeat; creditor ad sepulchrum Sancti cum eo tendens ante fores templi dixit: Ne, quæso, profanemus sancti viri sepulchrum; hic mihi jura, nullam a te pecuniam acceptam. Ad quæ verba cum ille converso ad templum vultu pejerare sub lata manu vellet, humi collapsus, rotansque oculos, omnibus membris captus, post tertium diem infelicem animam evomuit. *SERUS, in Vita S. Audom. 26 Sept.*

In Germania cum hospes quidam milite pecuniam, quam asservandam isti dederat, reptente negaret, se eam accepisse, et coram Magistratu Dæmoni se devoveret, si aliter se res haberet, a Diabolo spectabili forma ejus patronum agente, de perjurio convictus, et cum corpore animaque abductus est. *DELRIO, l. III de Mag. p. 1, q. 7.*

Cum Godivinus, Regis Eduardi Socer, ab eo ad mensam adhibitus, et necis Alfredo Principi illate insimulatus dixisset: Si ego hujus mortis conscius sum, panis iste fauces mihi obstruat! post factum a Rege crucis signum super panem, ita is fauces perjuri occupavit, ut intercluso spiritu, in ipso loco extinctus sit. *RIBAD. in Vita S. Eduard. 3 Jan.*

Tempore, quo corpus S. Salvii apud Valchianas revelatum est Carolo Magno, duæ sorores cujusdam Ducis Francorum ad Regem venerunt conquerentes de fratre suo, quod hæreditatem suam eis auferret. Conventus super hoc a Rege, respondit, se nihil eis auferre. Rex autem fecit cum jurare super corpus S. Salvii, quod nihil sororibus deberet de his quæ petebant. Qui cum jurasset lætus, statim medius crepuit et per secretum alvi stercora proruperunt, et exivit sanguis ex oculis ejus et auribus et ore et naribus, et post duas horas vitam finivit. *VINCENT. Spir. Hist. l. XXIV, c. XXIV.*

Michael cubicularius cum Joe Regina, Romani Argyropoli uxore, stupri commercium

habebat. Imperator ad se vocato Michæle de amore Regine interrogavit. Qui omnia inficiatus juramento per sacra interposito fidem fecit, diris se ac execrationibus devovens, ut Regem falleret. Qui cum illi fidem haberet, aliorum sermones calumnia putabat. Ob quam pejerationem Michael morbo sacro correptus est; qui usque ad ejus mortem duravit. *JOAN. CUSPIANUS, in Michæle cubical. ex Romana.*

EXEMPLA PROFANA.

FUGA.—Clinias, e Pythagorea secta, licet per juramentum verum mulctam trium talentorum evadere potuisset, maluit tamen injuriam pati, quam jurare. *S. BASIL. in hom. de Leg. l. gen.*

M. Attilius Regulus, Imperator populi Romani, cum a Carthaginensibus captus, Romanique missus esset, ad impetrandam Carthaginensium militum manumissionem, prius tamen constrictus, quod Carthaginem redire vellet, si, quod volebant, minime peregrisset, ivit quidem Roman, sed, postquam contrarium Senatoribus Romanis suasisset sponte pro servando juramento ad hostes rediit, ab iisque angusto, et undique acuminato ligno inclusus, misere obiit. *VALER. MAX. l. IX.*

Saguntini ne fidem et juramentum præstitum Romanis violarent, fame contabescentes, et ne etiam captivi in manus Annibalis pervenirent, rogam ardentem accendentes, se mortuosque suos combuserunt. *LIVIVS, l. XII.*

Prisci adeo parebant diis suis, ut, ne per eos jurarent, sæpe dicerent: Per hanc rugosam pellem meam, per aridam hanc arborem, has fores testor per hunc gladium, hoc sceptrum aut telum juro. *SUIDAS, apud Drex. in Phœt. th. c. XXX.*

Pericles amico roganti, ut pro ipso perjurium diceret, respondit, se quidem amicum esse, sed tantum usque ad aram. *PLUTARCH. in Apoph.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS.—Sicut, si quis sigillum alicujus sibi commissum ad confirmandum falsum applicet, merito falsarius judicatur; sic qui nomine Dei, quod tanquam sigillum nobis relictum est ad confirmationem veri-

tatis abutitur, ad confirmationem falsitatis, nomen Dei infamans, recte dicitur et ipse falsarius. *MARCHAN. in Horto Past. tr. III, lect. VI.*

FUGA.—Sicut vestimentum reliquis melius habentes, diligenter cavemus, ne illud quotidie aut crebro induentes corrumpamus; ita non minus vitandum est, ne nomen Dei omni veneratione dignissimum ubique temere, et prout occurrit, usurpemus. *S. CHRYS. hom. IV, ad Pop. Antioch.*

Sicut mentiri non potest, qui non loquitur; sic pejerare non poterit, qui jurare non appetit. *S. BERN. de Modo bene viv. s. 32.*

Sicut is, qui in alto loco ambularet, ubi a parte dextra spatiosa foret terra, a sinistris verò grande esset præcipitium, haud dubie ad dextram potius, quam sinistram tenderet; ita pariter consultius est, ut numquam jurans securus a perjurio quis vivat, quam ut frequenter jurando periculum præcipitii in gravia peccata incurrat. *S. AUG. de Verb. S. Jacobi: Ante omnia etc.*

DAMNUM.—Sicut pueri funiculum longum et corruptum ex contrario inter se trahentes, cum multo impetu supini omnes cadunt, funiculo per medium dirupto, et hi quidem capite, illi alia corporis parte feriuntur; sic et inter se contraria jurantes, juramento pro rerum necessitate dirupto, in perjurii barathrum utriusque cadunt, hi quidem pejerando, illi perjurii causam illis præbendo. *S. CHRYS. hom. XLIV, ad Pop.*

Sicut servus interrogatus assidue a livore non minuitur; sic omnis jurans et nominans in toto a peccato non purgabitur. *ECCLES. XXIII, 41.*

Sicut is, qui facit consuetudinem frequenter manu sua percutiendi, necesse est, ut injuste aliquando perecutiat; sic qui facit consuetudinem jurandi in rebus idoneis, frequenter et in rebus superfluis etiam nolens, consuetudine trahente perjurat. *S. CHRYS. hom. XII, in c. v, Matth.*

MOTIVA.

Quia grave admodum est hoc peccatum, Deoque valde injuriosum. Si enim, ut S. Chrysostomus ait, hominis ingenii, et aliqua dignitate muniti, in publico non audeamus de rebus majoribus, multo minus de frivolis testimoniis postulare; quanta erit irreverentia, Deum cælorum Regem, Angelorum

Domini, in testem ejusmodi rerum invocare? Hinc merito S. Jacobus dixit: Ante omnia nolite jurare, ut præ cæteris attendamus et vigilemus, ne subrepat consuetudo jurandi. *S. CHRYS. hom. IV, ad Baptiz.*

Quia scandalosum admodum, proximorum nocivum est hoc vitium; nam alios quidem ad pariter jurandum exemplo suo invitat, alios vero timentes Deum graviter offendit, utpote tam gravem Dei contumeliam cum indignatione audientes; hinc in illos cadit comminatio Christi, quod magis expedit, ut suspendatur mola asinaria in collo talium hominum, et demergantur in profundum, quam ut jurandi assuetudine alios tanfopere scandalizent. *JAC. v, 22.*

Quia ipsi etiam jurantibus admodum periculosum est. Quia non modo se exponant periculo fidem fallendi, et pejerandi, sed etiam se, ac alios infamant, ut S. Hieronymus notavit; si quidem, quia indicant, se esse mendaces, nec dignos, quibus credatur, nisi teste Deo; alios vero, quia judicant illos esse suspiciosos et incredulos, utpote quos oporteat tam potenti argumento et testimonio ad credendum induci. *S. HIER. ep. XXII.*

Quia sicut facile declinabile, ita et parum excusabile apud Deum est hoc vitium; nam ut, S. Chrysostomus recte dixit: Quis, quæso, labor est, juramentum fugere? Numquid opus est pecuniis? Num sudore et ærumna? Satis est tantum velle, et actum est. Si vero mihi consuetudinem objicis, propter hoc ipsum maxime facile meritum esse dico. Si te namque in aliam transuleris consuetudinem, totum præstitisti. *S. CHRYS. hom. XXVIII, ad Pop.*

MEDIA.

Pœna pro transgressionibus irrogatio voluntaria. Sic S. Chrysostomus suavitatis dicens: Vis discere quomodo ab impia consuetudine liberari liceat? Ego te quemdam docebo modum, quem si tenueris, superabis omnino. Cum videris te ipsum, aut alium quemque servorum vel filiorum, aut uxorem hoc malo captos, et continue commonefactos, neque correptos, jube non pranso cenare, et hanc tibi, illisque damnationem impone, damnationem non damnum, sed luerum ferentem; talia enim spiritualia et lucrum ferunt, et celerrima in correctionem; lingua

enim vel nemine commovente sufficientem capit admonitionem, si fame vel siti vexetur. (S. CHRYS. hom. v. *ad Pop.*) Sic teste Nidero, nobilibus quidam carnis abstinentiam, alius guttam sanguinis stylo ferreo e manibus eliciendam, alius vini carentiam sibi toties obtundam, quoties jurasset imposuit, et penitus hoc vitium extinxit. Imo et Deus confirmavit favore suo hoc medium; uti in milite illo apparet, qui, cum osculum terræ figere ob singula juramenta decrevisset, eo ipso, quo osculum figebat, momento, a globo, qui ipsum occidisset, prætervolante liberatus est. NIDER. l. IV. *Formicarii*, c. IV.

Examinis particularis diligens et constans usus. Quod remedium idem Sanctus Chrysostomus his verbis suavit: Ut igitur hoc crimine liberemur, invicem admoneamur, insitum tempus constituamus, et tempus dierum decem. Volentibus enim, et vigilantibus hi sufficunt dies, quo penitus hoc crimine liberemur, et post decem dies nihilominus si illaqueati reperiamus, poenam nobis constituamus. Cum autem hoc corrigere cœperis, sive semel, sive secundo, sive tertio, sive vigesimo legem transcendaris, ne desperes, sed iterum surge, et studium assume, et victor eris. S. CHRYS. hom. XXVIII, *ad Baptist.*

Consuetudo contraria assumpta; nam, ut S. Chrysostomus ait, sicut consuetudo prava possidet, ita poterit melior obtinere, ut et volentem te jurjurandi lapsibus non permittat evinci; nam revera multum consuetudo prævalet, et jura didicit immutare nature. Ibidem.

Censores et monitores constituti. Si namque domi multos ubique custodes constituas, inquit iterum S. Chrysostomus, puta servum, uxorem, amicos, ab omnibus facile compulsus atque coactus a mala consuetudine recedes. (Ibid.) Sic certe pædagogus ille correctus est, qui, ubi schedam a discipulo suo scriptam reperit, et in ea hæc verba pro confessione notata legit: Pædagogum meum temere juramentum non correxi; sic erubuit, ut deinceps ab omni juramento abstinere. Sed, et Lysippone, cum puer aliquem prociacius juramentum audiens, in genua procubisset, rogassetque, ne Deum jurando tam graviter offenderet; is adeo hoc facto pernotus est, ut seriam emendationem decreverit. DREXEL. in *Phœt.* c. III, § 3.

Opinionem difficultatis circa emendationem tollere; id quod fiet, si cogitemus multo

difficiliora ab hominibus sine ulla mercede superari, ut recte discurrit S. Chrysostomus: Quid enim difficilius est, quam rotam more totum flectere corpus, et in pavimento versari, quod multi juvenes faciunt, gladios alternatim in aere jaculantes, et omnes rursus permanubrium capientes, quem non confundant nullum pro virtute laborem suscipere volentium? Vel quid de illis dicas viris, qui contum in fronte gestantes, velut arborem in terra radicatam, sic immotum conservant? Quid quod puer super funem angustissimum tanta ambulat securitate, cum quanta supinos percurrentes campos? Hæc quæ et mentibus impossibilia videntur, facta sunt arte possibilia; quid horum in juramentis prætere possemus? (S. CHRYS. hom. XIX *ad Pop.* Et iterum alibi: Considera, inquit, quemadmodum Gentilium aliqui blasi quarundam syllabarum non bene experientes sonum, offendentem sæpe linguam longa meditatione limaverint. Postquam enim per Scripturas vobis non potest persuaderi, ab externis monere vos cogor. Cogitare Gentilium Philosophos, et tunc scientis, quanto sinus digni supplicio despicientis divinas leges, cum illi quidem pro humana honestate tanta laboraverint, vos vero neque pro cœlesti Regno studium adhibeatis. Idem, hom. XVIII *ad Pop.*

ASCETICA.

De hoc vitio tria præcipue bene notanda sunt Ascetæ. Primum est, ut norit, hoc vitium omnes quidem homines, sed speciatim eos, qui perfectionis studium profitentur, summo opere dedecore; cum enim hi ab omni mendacio alienissimum credantur, hoc ipso, si Deum in testem invocent, ostendunt, se, ut minus dignos, quibus sine juramento credatur, ita nec perfectionis adeo cupidos esse.

Alterum est, ut bene quoque cognoscat condiciones ad licitum juramentum requisitas, quas quidem Jeremias indicavit, (JER. IV, 2) dum dixit: Et jurabis: Vivit Dominus, in veritate (ut nempe verum sit, quod juramento confirmatur) in iudicio (id est, cum circumspeditione, an necessitas vel utilitas aliqua ejusmodi juramentum exigat) et in justitia (ut nihil cum juramento promittatur, quod bonis moribus et præceptis divinis repugnat) quo in casu, ut recte S. Am-

brosius dixit, est contra officium, solvere promissum, sacramento custodire. S. AMBR. l. II *Offic.* c. I.

Tertium est, ut bene apprehendat quatuor illa capita, quæ linguam jurantem in præcipitum trahunt, et a Jeremia Drexelio enumerantur, videlicet: Primo, *Affectus, seu libido jurandi*, qualis fuit, S. Augustino teste, eorum, quorum plura sunt juramenta quam verba. Secundo, *Assiduitas et quotidiana consuetudo jurandi*, a qua absterrens Siracides dixit: Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. Tertio, *Facilitas jurandi*. Uti faciunt ii, qui immediati et incogitantes otiosa temeritate jurant, contra expressum Dei mandatum, vetantis nomen Domini frustra usurpari. Quarto, *Rerum creaturarum et Demoniis in testem invocatio*; inde enim facilis est ad alia juramenta transitus. DREXEL. in *Phœt.* c. XXVIII, §. 1.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Et jurabis: Vivit Dominus, in veritate, iudicio, et justitia; » (JEREM. IV, 2.) explicari potest fusiis, quando licitum et illicitum sit jurare; quem in finem March. in *Horto Pastorum* tr. III. lect. 6. videri potest.

Ex occasione thematis: « Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa; » (ECCLES. XXII, 9) possunt explicari injuria, quæ Deo, proximo, et sibi ipsi per juramenta vitiosa inferuntur; uti apud eundem auctorem fusiis videre est.

Ex occasione thematis: « Vir multum orans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga; » (Ib. 12.) possunt explicari plægæ ob ejusmodi juramenta illicita inferri solite. Primo, *in bonis spiritalibus*; quia, sicut per creaturas juratur et peccatur, ita et per easdem Deus plectere plerumque solet, easdem auferendo, aut, ut ab aliis destruantur, permittendo. Secundo, *in bonis fœnæ*; quia ut sæpius dictum est, vere tales seipsos de animo veritatis parum studioso faciunt suspectos, efficiuntque, ut alii minorem de ipsis, quam ante habuerant, estimationem concipiant. Tertio, *in bonis spiritalibus*; quia, cum per hoc peccatum graviter inhonoretur, et offendatur Deus, hoc ipso indignos suis donis judicabit eos, qui tam ingrati sunt eorum Auctori, gravibusque injuriam sibi allatam poenis vindicabit.

Ex occasione thematis: « Non usurpabis nomen Dei tui frustra; » (Deut. III, 11.) poterunt media ad vitandam male jurandi consuetudinem proponi, potissimum vero timor triplicis poenæ. Primo, a seipso toties intelligenda, quoties in eam consuetudinem lapsus fuerit. Secundo, a Magistratu decernenda, vel ab ipso Deo in hac adhuc vita juranti imponenda. Tertio, in altera vita subeunda; quæ omnia facile exemplis supra enarratis confirmari possunt.

Ex occasione thematis: « Ego autem dico vobis, omnino non jurate; » (MATT. V, 38.) proponi possunt et solvi excusationes, quibus plerumque ii, qui consuetudinem jurandi habent, excusare se solent, si ad emendationem incitentur. Nimirum, primo, *Consuetudo conveterata*; sed ostendatur, quam facile per aliam meliorem consuetudinem corrigi queat. Secundo, *Auctoritatis defensio*; quod scilicet aliqui nemo credat asserenti. Ostendatur, quam futilis hæc quoque sit excusatio, cum potius suspecta fiat per juramenta similia veracitas jurantium, atque adeo minus eisdem credatur. Tertio, *Quod graves juramentis non utantur*. Sed et refutetur excusatio ostendenda, quod nec ista fiant absque peccato, et periculum contineant in graviora prolabendi. Vide hæc et plures excusationes fusiis apud P. Drexel. in *Phœt.* c. 30, refutatas.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Agesilas de Barbaris, qui jusjurandi religionem violabant, dicere solebat, eos nulla re deos magi sibi infestos reddere, quam si sacrosanctum jusjurandum temere violassent. ÆLIAN. I. IV, *Var. Hist.*

Numa maximum jusjurandum Romanis statuit fidem. PLUTARCH. in *Numa*.
Plutarchus dicere solebat: Juramentum homini libero (quanto magis Christiano) pro tormento est. Idem in *Probt.*

FŒNA. — Hebræi nomen Jehova numquam pronuntiare audebant, sed nomen *Adonai* substituebant. Sed et moderni Judæi nec per totum nomen, sed per litteras divisas jurare solent, dicereque: Juro per *Jod, He, Vau*, et *Jod*. JOSEPH. I. XI, *Jud. ant.* c. VIII.

Epictetus inter alias hæc doctrinam dabat: Juramentum deprecare, siquidem fieri potest, omnino; sin minus, saltem quoad ejus potest. EPICTET. in *Enchir.*

Bonos viros decet, ut eos mores adferre videantur, qui sunt jure jurando firmiores. ISOCRAT. *ad Damon.*

AXIOMATA.

Qui sæpe jurat, sæpe oportet, pejeret. JAM. *Vet.*

AUCTORES.

Joannes Busæus, in *Panario*. V eodem. Jeremias Drexelius, in *Phaëonte* c. 28. 29. 30.

Philippus d'Outreman, in *Pædagogico Christiano* p. 1. c. 3. §. 1.

Joannes Major, in *Speculo magno Exemplorum*. V. eodem.

Antonius Dauroltius, in *Floribus Exemplorum* c. 3. tit. 24. 25. et 26.

Josephus Langius, in *Polyantha*, verbo eodem.

Joannes Dadræus, in *Locis Communibus similium et dissimilium*.

Jacobus Marchantius, in *Horto Past.* tract. 3. lect. 5. et 6.

JUSTITIA.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est habitus voluntatis inclinans ad suum cuique tribuendum. Vel, ut fustus clariusque describit S. Bernardus, est virtus, que nihil alienum vendicat; que cuilibet dat, quod suum est; que negligit propriam utilitatem, ut servet communem æquitatem. Prima justia est in Deum; secunda in Patriam; tertia in parentes; quarta in omnes. (S. BERN. lib. 1. *de Offic.*) Vel, ut S. Anselmus: Justitia est animi libertas, tribuens unicuique suam propriam dignitatem, majori reverentiam, pari concordiam, minori disciplinam, Deo obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam. S. AXS. *l. Cur Deus homo.*

DIVISIO. — Dividitur communiter in *legalem*, que respicit justum et æquum, quatenus Reipublicæ aut bono communi est conducibile; *distributivam*, qua bona communia inter personas communitatis, servata proportione, distribuuntur; et *commutativam*,

qua particulares personæ inter se in commutationibus et contractibus æquitatem custodiunt; ad quas suo modo *vindicativa* revocari potest, qua superior subditum suum condigna poena pro delictis suis punit.

ACTUS. — In genere duosunt. 1. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias. (TOB. IV. 16) 2. Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. MATTH. VII. 12.

In specie vero justitiæ *legalis*, prout est in Superioribus, actus sunt. 1. Zelare pro legibus. 2. Justa præcipere. 3. Bene gesta præmiare. 4. Delicta punire. 5. Subditorum commodis prospicere. 6. Pericula et mala arcere. Prout vero in subditis est, ejus actus sunt. 1. Legibus obedire. 2. Concordiam cum aliis servare, neminem lædere, commune bonum proprio præferre, et procurare.

Justitiæ *distributive* actus sunt. 1. Justa necessitatem aut alios titulos proportionem certam exigentes bona communia inter partes distribuere. 2. Poenam ipsam justa quantitatem delicti, et delinquentis qualitatem indigere. In subditis. 1. Nihil ultra necessitatem petere. 2. Ad dignitates se importune non ingerere, præcipue eas, que sunt ultra meritum.

Justitiæ *commutative* actus sunt. 1. Nemini damnum inferre, verbo, consilio, facto, in bonis, honore vel corpore. 2. Omnia proximi facta bene interpretari. 3. Bonum alterius pro viribus promovere.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Reddite, quæ sunt Casaris, Casari; et quæ sunt Dei, Deo. MATTH. XXII. 21.

Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. ECCLES. IV. 33.

Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit; non enim est potestas, nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit. ROM. XIII. 1.

Diligite justitiam, qui judicatis terram. UTILITAS. — Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam omni tempore. PS. CV. 3.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi,

justitia et pax osculatae sunt. PS. LXXXIV. 11.

Si justitiam quis diligit, labores hujus magnam habent virtutem. SAP. VIII. 5.

Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. PROV. XVI. 8.

Justitia elevat gentes; et justitia firmatur solium. PROV. XIV. 15 et 16.

NECESSITAS. — Non habebis in sacco diversa pondera, majus et minus; nec erit in domo tua modius major et minor. Ponderus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi, ut multo vivas tempore super terram. DEUT. XXV. 15.

Ponderus et pondus, mensura et mensura utrumque est abominatio apud Deum. PROV. XX. 10.

JUSTITIA VINDICATIVA. — Noli esse justus multum; neque plus sapias, quam necesse est. ECCLES. VII. 17.

Videte, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Dei, et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. PAR. XIX. 6.

Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententia, ut a vero devies. EXOD. XXXIII. 2.

Pro mensura delicti erit et plagarum modus. DEUT. XXV. 3.

Noli querere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumperere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua. ECCLES. VII. 6.

Insonem et justum non occides, quia aversor impium. EXOD. XXIII. 7.

Juste, quod justum est, persequeris, ut vivas et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. DEUT. XVI. 20.

Non facies, quod iniquum est; nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis; juste judica proximo tuo. LEVIT. XV.

Vae, qui justificasti impium pro muneribus, et justitiam justis auferitis ab eo! IS. V. 22.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Justitia non novit patrem, veritatem novit, personam non accipit, Deum imitatur. CASSIOD. *super. Ps.*

Vigor justitiæ semper fervidus sit, sed nunquam præceps. S. BERNARD.

Humana justitia divinæ justitiæ comparata, injustitia est, quia et lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radiis posita tenebratur. S. GREG. I. *V. Moral.*

Hæc est perfecta justitia, qua potius potira et minus minor diligimus. S. AUG. *de Vera Rel.*

Justitiæ prima portio est non peccare; secunda per poenitentiam damnare peccatum. S. BERNARD. in *Annuntiatione B. Mariæ* s. 1.

NECESSITAS. — Remota justitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Quia latrocinia quid sunt, nisi prava regna? S. AUG. I. *IV de Civit. c. IV.*

Qui non repellit a socio suo injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit. S. AMBR. *de Offic.*

Nimia justitia incurrit peccatum, temperata justitia facit perfectos. Salsitudinem correctionis amor Christi temperet, et dilectionem proximi sal justitiæ condit. S. AUG. *de Ver. Rel.*

Sancti viri, quando cum personis minoribus contentionum negotia subeunt, dum gravare vel in minimis timent, ipsi contra justitiam gravari nequaquam refugiunt. S. GREG. I. *IX Mor.*

UTILITAS. — Justitia sola Respublica sustentatur. S. AUG. *de Civ. Dei.*

Justitia via est, per quam ad justitiam pervenitur. S. BER. s. IV in *Dom. Epiph.*
Nimia justitia incurrit peccatum, temperata justitia facit perfectos. S. AUG. *de Vera Religione.*

DIGNITAS. — Cui nocetur, aut injuriatur, et voluntate parit proximo, hic secundum naturam Christi est; qui nec lædit, nec læditur, hic secundum naturam Adæ est; qui nocet, calumniam ingerit, aut usuras exigit, hic secundum Diabolum est. *In Vit. PP.*

Magnus justitiæ splendor, quæ aliis potius nata, quam sibi, communitatem et societatem nostram adjuvat, excelsitatem tenet, ut suo judicio omnia subjecta habet, operam aliis ferat, pecuniam conferat, officia non obruat, pericula suspiciat aliena. S. AMBR. I. I. *de Offic.*

Summum in Regibus bonum est, justitiam colere, ac sua cuique jura servare, et subiectis non sinere, quod potestatis est, fieri, sed quod æquum est, custodire. S. GREG. *ad Franc. reges.*

Amanda est justitia et in hac amanda gradus sunt proficiendum; primus est, ut amori justitiæ non proponamus omnia que delectant. *Ibidem.*

JUSTITIA VINDICATIVA. — Bonus Index nihil ex arbitrio suo facit, et domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges et jura pronuntiat, scitis juris obtemperat. Non indulget propriæ voluntati, sed sicut audit, ita judicat, et sicut se habet negotii natura, decernit; obsequitur legibus, non adversatur; examinat cause merita, non mutat. S. AMBR. s. XX in Ps. CXVIII, 4.

Discite, Judices sæculi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Dominus omnium dicit: Non possum a me facere quidquam, sed, sicut audio, judico, hoc est, non ex mea potestate decerno, quod libitum, sed ex judicandi religione, quod justum est; ideo iudicium meum verum, quia non voluntati meæ indulgeo; sed æquitati. Ibid.

Audi, quid verus Index asserat: Non quero voluntatem meam, hoc est, homines; quæ vel odio dirigitur, vel studio intenditur, vel gratia inflectitur, vel aliorum iudicio depravatur. Scriptum est enim: Omnis homo mendax; sed voluntatem, inquit, quero ejus, qui me misit, hoc est, divinæ cognitionis formam veni docere, ut in judicando magis cordi sit veritatis custodia, quam obedientia voluntatis. Ibid.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — De Deo dixit Salomon: Cum sis justus, justo omnia disponis; ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas a tua virtute. Virtus enim tua justitiæ initium est; et ob hoc, quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. SAP. I, II, c. XV. Et iterum: Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicæ, et cum magna reverentia disponis nos. Ib. XVIII.

S. Job de se dicit: Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate, iudicio meo. Job. XXIX, 14.

Tobias audiens hædum balantem dixit: Videte, ne furtivus sit, sed reddite eum dominis suis. Quia non licet vobis aut edere ex furto, aut contingere. Tob. II, 21.

Rudolphus Imperator, cum quidam venisset, et Othacearum, Regem Bohemæ, atrocem ejus hostem, in venatione occisurum

promitteret, si facto præmium esset, egregie respondit: Etsi noster hostis est Othacearum, nunquam tamen efficiet, ut justitiæ et moderationis fines transeamus. **ÆNEAS SYLVIUS**, I. XIII, in reb. de Justit.

Robertus III, Scythorum Rex, cum Romæ coronandus esset, et concursu populi Canonicorum segetes conculerentur, grandem statim pro illis pecuniam persolvit. Cum oppido aliquo excederet, vocatos per præconem obsoniorum venditores ac œnopolas rogabat, num quispiam ex aula sua non reposito omnium emptorum pretio abivisset. Pauperum querelas æquissimis animis audiebat, et damna liberaliter resarciebat. **HENRIC. BOGT.** I. XV.

Ludovicus XI, Galliæ Rex, edicta publicari volebat legibus Galliæ vetustis contraria, addens hanc clausulam: « Nam ita est voluntas nostra. » Sed concilium seu Parlamentum Parisinum publicationem recusavit, etiam ter jussu a Rege id facere: etsi postremo Rex mortem eis minaretur. Tum Præses Senatus Lanacrius, multis comitatibus Senatoribus, omnes in purpureis togis Magistratus insignibus Regem accesserunt, eique edictorum illorum iniquitatem et minas sibi factas exprobarunt. Rex visa gravitate, habitu et dignitate personarum, quas officio et vita exuere volebat, et ultro paratæ erant, vitam potius et munus ponere, quam iniqua edicta probare, obstupuit, et eorum auctoritatem reformidans, ipsis præsentibus edictum sustulit, jussitque eos posthac pergere, justitiam tueri: juravit etiam, se posthac nihil decreturum, quod sit æquitati et rationi contrarium. **PHIL. DE COX.** tom. I, l. II, c. XXII.

Erat vir quidam nobilis valde et potens, tantusque amator justitiæ, ut nullam in iudiciis respiceret personam. Hic cum cognovit infirmitatem, lectoque decumberet, in proxima camera clamorem, tumultumque femineum audivit, qui eum de causa suscitaretur, nullus ei circumstantium veritatem dicere præsumpsit: Tunc mittens unum de peris ait: Præcepto tibi sub-interemptione oculorum tuorum, ut dicas mihi meram veritatem. Cui iste pavens respondit: Domine, domicellus meus, filius sororis vestre feminam ibi opprimere voluit, et hæc fuit causa clamoris. Ad quod verbum valde commotus, dixit quibusdam militibus: Ite, et suspendite illum. Milites igitur obedientiam simulantibus, postquam egressi sunt, dixerunt in-

viciem: Si occiderimus hunc juvenem nobilem, et Dominus, sicut satis opinabile est, mortuus fuerit, vel morte mulctabimur, vel erimus extorres. Omnia tamen juveni intimantes, et ut poenitentiam avunculi se subtraheret, componentes, post horas aliquot sunt ad dominum regressi, se ejus mandatum implevisse dixerunt. Quinto vero postmodum die juvenis æstimans, avunculum de culpa esse placatum, vel immemorem, aperto ostio introspectit, quem cum infirmum conspexisset, verbis blandis eum advocans juxta se sedere præcepit. Uno vero brachio collum ejus stringens, et manu altera cullum ejus clam extrahens gutturi ejus infixit, et occidit. Qui cum planctu et ejulatu multorum elatus toti provinciæ incussit horrorem. Sed et ipsi Archibaldo militi, qui sic vocabatur, additus est dolor super dolorem, adeo ut invalescente infirmitate pro Episcopo mitteret, petens sacrum Corpus Christi sibi afferri, qui cum venisset, ille cum multis lacrymis et contritione cordis, omnia peccata sua confessus est, tacta tamen juvenis infirmitate. Super quo Episcopus miratus respondit: Quare subiecisti homicidium, quod commisistis in cognatum vestrum? Dicente illo: Fuit et hoc peccatum? Subject Episcopus: Etiam crudele nimis. Et ille: Ego neque peccatum judico, neque a Deo mihi remitti deoseo. Respondente Episcopo: Ego vobis Corpus Christi non tradam, nisi homicidium idem confiteamini. Subjunct vir nobilis: Scitis me, domine, illum non occidisse ex aliquo rancore, a quo motu ira, sed solummodo timore Dei, zeloque justitiæ. Numquam plus filium sororis suæ aliquis diligeret potuit, sicut ego illum dilexi. Sic ergo Corpus Christi negaveritis; ego illi corpus et animam committo. Hoc enim dixit et egit propter exemplum, ne justitiæ et iudicio derogare videretur. Vix enim Pontifex limitem domus egressus fuerat; et ecce ægrotus revocabat eum dicens: Revertimini, domine Episcopo, revertimini; videatis si in paxide habeatis Corpus Domini. Quod cum fecisset, nec aliquid in ea reperisset, subjunct ille: Ecce, quem mihi negastis, ipse se mihi non negavit. Apparuitque hostia in ore ejus; et impletum est eo, quod per Sapientem dictum est: « Diligite justitiam, qui iudicatis terram; servite Domino in bonitate, et simplicitate cordis querite illum; quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem

habent in illum. » Episcopus vero pavens, tantum miraculum ubique divulgavit. *Dis-cipul. Prompt. lit. I. ex. XXXVIII.*

De affectu carnalium parentum triumphantis Abbas Pastor pro filio sororis a Judice comprehenso, intercedere noluit, rogatus vero ut saltem litteras deprecatorias scriberet; scripsit monens Judicem, ut diligenter causam inquirat; et si reum suum, nepotem deprehenderit, pro merito puniat, ut in hac vita exsolvens penam peccati, in altera liber sit. *Specul. Exempl. l. dist. II, ex. 33.*

Vidua quædam cerevisiam coquere et vendere solita, cum oppidum Duschberch totum casu incensum fuisset, et ignis domui ejus appropinquaret, omnia sua vasa, quibus cerevisiam aliis mensurans solebat, ad ostium domus ponens sic aiebat: Deus justus et misericors, si unquam his mensuris aliquem decepi, volo ut domus hæc comburatur, precor justitiam tuam, ut mihi et suppellectili meo parcere digneris. Dixit, et flamma nihil de ejus suppellectili attigit, licet omnia in circuitu devoraret. *Specul. Exempl. dist. II, Ex. 129.*

Adonibezec Rex comprehensus a filiis Israel dixit: Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias; sicut feci ita reddidit mihi Dominus. *JERIC. c. II.*

Audiens Tobias hædum balantem, dixit: Videte, ne furtivus sit; quia non licet vobis aut edere ex furto, aut contingere. *Tob. II.* Darii Regis jussu Danielis accusatores in lacum leonum missi non pervenerunt ad pavementum, priusquam arripissent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerunt. *DAN. VI et XIV.*

Impius Jason, qui insepultos abjecerat multos, ipse illamentatus et insepultus abiecit, nec propria nec peregrina honoratus sepultura. *II. MACC. IV.*

Insigne inter justitiæ egregia facinora illud fuit, quod Ferdinandus, Rex Aragoniæ, patravit. Hunc Henricus frater, Castilionensis Rex, tutorem filio puero reliquit. Is autem regnum tanta justitia rexit, quod in magno Castilionensium conventu actum est, ut ad ipsum Hispaniensis Regni titulus deferretur, quem honorem cum se accepturum ostendisset, omnesque in locum rei agendæ designatum convenissent, ipse ingenti clamore regio more amictus, qui nepotem puerum occultum tenebat, cum om-

nium sententiam postulasset, quæ ejusmodi fuit, ut ad ipsum Hispaniarum Regnum deferretur, repente nepotem parvum e clamyde extulit, et eum collo suo imposuisset, exclamavit: En Castilionenses Regem vestrum! Cui restituo postea regno, actisque omnibus rebus, ostendit, quam in eum justus fuisset. B. FULGOS, *lib. VI.*

DAMNUM NEGLECTE JUSTITIE. — Quidam Frater e familia Minorum valde religiosus in quadam extasi vidit aliquem in medio flammarum prostratum, e cujus ventre arbor alta processit. In cujus ramis homines diversi, masculi atque femine sursum pedibus, et capite deorsum penduli erant, atque flamma ab imo prorumpente acerrime torquebantur. Ille vero, qui jacebat, omnium maxime cruciabatur. Frater ex Angelo quesivit, quoniam hi essent? Respondit: « Ille, qui jacet, pater fuit, et principium generationis istorum omnium, fuit pauper, atque per usuras ditatus eminuit. Alii autem sunt hujus filii et nepotes, imitati patrem scelus, et per usuras acquisita non restituerunt, ideo eum dant penas; gravissime vero pater videns eos, qui per ipsam in ista tormenta devenere; ex quo pœna ei pro his omnibus augetur, ac intenditur. » KEPLER. l. c. f. 93.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius adeo Justitiæ rationem habuit, ut, quo magis obstrueret viam zelo temerario et malevolæ falsitati, nullius accusationem de re gravioris momenti aliter, quam scriptam admitteret. De domesticorum erratis mirum servabat silentium, neque si quid admissum esset ab aliquo minus decenter, cuiquam aperiebat, nisi emendationis gratia; et tunc quidem tam modeste atque amice id agebat, ut, si unus testis satis esset ad remedium, plures non adhiberet, nudamque culpam poneret ante oculos, absque omni contentione verborum aut reprehensione. (LANGZ. *Opusc. lib. XXI. c. IV. n. 37. et c. VIII. n. 70.*) Certe quondam in confessione se accusabat, quod erratum ejusdem coram tribus evulgavisset, cum tamen duo sufficissent. Sed et cuidam Patri, quod de infirmo quodam nostro extra domum dixisset, ipsum præ vehementia febris delirare, injunxit, ut se publice per spatium trium Psalmorum caderet. Et aliis unde-

cim publicam disciplinam præcepit, quod cuidam jocose quædam detractoria et falsa de altero narrauti credidissent. *Ib. c. v. n. 48.*

S. Franciscus Borgia cum Gothalanie Prorex creatus esset, nihil duxit antiquius, quam ut rebus feliciter obiret, Dei ante omnia Justitiæ auctoris ope implorata. Prima vero cura fuit viam regiam a latrocinii tutam reddere, ut merces importari, et exportari commode possent. *Vita l. I, § 8.*

P. Jacobus Laynes duo potissimum hominum genera delestari se aiebat, hæreticos, sub falsa Religionis specie Regna et Provincias devastantes, et eos, qui Simonis magi labe infecti, Christi patrimonio pretio et emerent et venderent, pauperum panem devorarent, et sanguinem haurirent. *Vita, l. III, c. XVI.*

Bernardinus Realinus dum Fiscalis munere fungebatur, duo hæc sane difficillima, ut Fisco, et iis, quorum intererat, satisfaceret, ita conjungebat, ut ne obolum quidem in suum commodum, præter salarium sibi assignatum converteret. Sed et aliis subinde officiis functus, adhuc in sæculo existens, in modo regendi erat semper sibi simillimus; ab omni munere castas semper integrasque abstulit manus, identidem dicitans, vix ullum lucrum dignitatemque suam simul tueri posse. In sententiis ferendis pensulatio, cause merita, non affectum aut favoris gratiam appendebat. Reos longe carcere minime exhaurebat, sed, ut primum poterat, aut absolvebat omnino innoxios, aut culpe reos jure damnabat; dum ratio pro penæ mitigatione suppeteret, ad benignitatem se referebat. Si postulabat æquitas, ut gratiæ aliquid indulgeretur, id non putide sibi arrogabat, sed patronis tribuebat, ad se solam Justitiæ administrationem pertinere existimans. *Vit. c. IV.*

EXEMPLA PROFANA.

Quintus Mutius Scævola, Pontifex Maximus, filius P. Mutii, Proconsul Asiam tanta integritate administravit, ut in posterum in eam Provinciam ituris Magistratibus in exemplum et formam fuerit propositus. *BEHL. lit. Justit. fol. 491.*

Domitianus Imperator tantam curam Magistratibus coercendis adhibuit, ut neque

modestiores unquam, neque justiores extirperint. *Ibid.*

Apud Athenenses novem Principes erant, quibus, Republica concedita erat, qui, cum eligerentur, religiose jurabant, neque munera se accepturos, neque auream statuam publice erecturos. *Ibid.*

Areopagitæ litium controversias non interdiu, sed noctu judicabant, ut procul ab omni affectu, qui animos in diversum agit, ferre possent judicium. Sed et lege apud eosdem cautum erat, ut qui causam diceret, nec præmio uteretur, nec ad misericordiam aut invidiam Judices adduceret, ne eni plus in misericordia, quam in causa spei esset. *ALEX. ab ALEX. l. III, c. v.*

Acrotasus parentibus postulantiibus, ut sibi in re quæpiam injusta adesset, audacter respondit: Quamdiu apud vos eram, nullam habebam Justitiæ scientiam: ast dum me Patriæ et patriis legibus tradidisset, insuper et Justitiæ et honestatem pro viribus docuisset, huic magis, quam vobis conabor obtemperare. Quandoquidem ergo hæc est voluntas vestra, ut, quæ sunt optima, faciam; optima vero sunt, quæ justa sunt tum homini privato, tum præcipue principatum gerenti, quæ vultis faciam; quæ dicitis negabo. *PLUTARCH. in Læon.*

Titus Manilius inter Macedones accusator et filium constitutus, audita causa sic pronuntiavit: Cum probatum sit, Silanum filium meum pecuniam accepisse, ipsum repudio, et prole mea indignum judico, protinusque a conspectu meo abire jubeo. *Polyant. lit. Justit. fol. 630.*

Andronicus Comænus unum ex intimis aulicis publico supplicio ob delictum affici præcepit, simulque illis, qui Justitiæ parum curabant, nuntiari jussit, aut injustitiam, aut vitam relinquere. *CAUSINUS, in Aula sancta, l. III, c. XXVIII, n. 3.*

Theodoricius Rex cum Juvenalis honesta matrona ei quæsta esset, causam suam per integrum jam triennium a Judicibus protracti, his ad se vocatis præcepit, ut intra biduum expedirent, quod cum illi intra biduum præstitissent, omnes velut læsæ justitiæ reos, capitis damnavit. *Ibid. n. 6, ex Chron. Alex.*

Cambyses, Rex Persarum, judici iniquo et muneribus corrupto pellem detrahi, et judicium tribunalis interni jussit, ut vel hujus exempli severitate moti justus judicarent. *FABER, in Auct. Th. III, in festo S. Barth.*

E contrario vero Advocatus quidam, qui multas causas injustas susceperat et tractarat, post mortem sine lingua inventus est, justo Dei judicio, quo effectum, ut linguam perdidit moriens, quam vivens toties vendiderat. *CÆSARIUS, l. XI, Hist. c. XLVI.*

Zalencus urbe Locrensium a se saluberrimis legibus munita, cum filius ejus adulterii crimine damnatus, secundum jus ab ipso constitutum utroque oculo orbari deberet, ac tota civitas in honorem patris penæ necessitatem adolescenti remitteret, suffragium repugnavit, demum precibus populi victus, suo prius deinde filii oculo eruto, mirabiliter temperamento officium misericordis patris et justis legislatoris conjunxit. *VAL. MAX. l. V, c. v de Jur.*

Servavius Capitolium Marcus Manlius, sæpius in acie stetit, pro patria strenue dimicavit, acceptis adversa vulnera, cives servavit, præmia tulit, et in toga multis alieno levavit ære; et nihilominus populi suffragiis damnatus est, quia supra fortunam privati civis aliquid optare crederetur. Adeo nullum civem ab initio ferre potuit Romanus populus, qui legibus, cum esset opus, cogi non posset. *SABEL. l. IV.*

Timocharis Ambraciensis Fabricio Consuli pollicitus est, se Pyrrum veneno per filium suum, qui potionibus ejus præerat, necaturum. Ea res cum ad Senatam delata esset, missis legatis Phyrrihum monuit, ut adversus hujus generis insidias cautius se gereret, memor urbem a filio Martis conditam, armis bella non venenis gerere debere. Timocharis autem nomen suppressit, utroque modo æquitatem amplexus, qui nec hostem malo exemplo tollere, nec eum, qui bene mereri paratum fuerat, perdere voluit. *VAL. MAX. l. V.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut theatrum cum commune sit, recte tamen dici potest, ejus esse illum locum, quem quisque occupavit; ita in mundo licet omnia communia sint, non tamen adversatur juri, ut proprium sit cuique, quod legitimo possidet, titulo. *Cic. l. de Finibus.*

Sicut lingua statera, ut officio suo bene fungatur, justamque mensuram judicet, in medio consistere debet; ita justitiæ quoque officium est, medium ubique tenere, et ne-

que per timorem tormentorum, neque per spem numerum ad alterutram partem se magis inclinare. BONCART. v. *Justit.*, n. 61.

Sicut cingulum corporis, medium tenet locum inter partem corporis superiorem et inferiorem, et non nisi violenter ad unam alteramve partem magis inclinatur; ita Justitia inter potentem et humilem, divitem et pauperem media consistit; et eo solum se inclinatur, quo majus aequitatis pondus eam trahit. *Ibid.* n. v.

Sicut a centro ad circumferentiam majorem, major et longior protenditur linea, ad minorem vero minor; ita a justitia distributiva, quæ est quasi centrum medium, linea amoris et liberalitatis producta ad illam, qui majorem virtutis aliorumque meritorum habet ambitum, major quoque esse debet, quam illius, qui minor est in ejusmodi meritis. *Ibid.* n. 7.

Sicut in bello, quo tuta sit tota aliqua Provincia, privata interdum ædificia aut agros destrui necesse est: ita Justitia bono communi prospiciens, particularium interdum personarum emolumentum negligat, oportet. ERASM. I. I, *Apophth.*

MOTIVA.

Quia hæc specialiter requirit Deus, juxta testimonium Michæ dicentis: Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere judicium, et justitiam. MICHA. VI, 8.

Quia etiam bonum Republicæ specialiter eam requirit; cum Justitia sit quasi protectrix et conservatrix illius, juxta Salomonem, cum juxta hunc Justitia elevet Gentem, et thronus Regum per eam firmetur. PROV. XIV, 34, et XXV, 5.

Quia particulare cujusque hominis bonum pariter eam exigit; ut enim nulli membro bene esse potest, nisi capiti aliisque membris apte cohereat; ita nec homini ulli bene esse potest, nisi per Justitiam cum suo Magistratu, velut capite, et aliis hominibus velut membris conjungatur.

Quia, teste Salomone, si Justitiam quis diligit, hujus labores magnas habens virtutes; sobrietatem enim (id est, temperantiam) et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem (id est, fortitudinem) quibus utilis nihil est in vita hominibus. SAP. VIII, 7.

Quia summam possessori suo dignitatem

honestatemque conciliat; nam justus ut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur, teste S. David. (PS. XCI, 13.) Hinc, et Demosthenes eos homines in primis laude dignos pronuntiavit, qui nullam anteponebant Justitiæ utilitatem. Pecunias enim quisque possidere potest; ad Justitiæ gloria pecuniis non emitur. BUSÆUS, in *Virid.* v. *Justit.* c. II.

Quia Justitia amator invidiosus adversus omnes casus sinistros efficitur; nec enim, feste Salomone, constrislabit justum, quidquid ei acciderit; (PROV. XII, 31.) et ut Horatius cecinit:

Justum et tenacem propositi virum,
Non Civium ardor parva jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna Jovis manus,
Si fractus illabatur Orbis,
Impavidum ferient ruinae.

HORAT. III, *Carmin.* 3.

MEDIA.

Præsentia et timor Dei; sic enim Zeno interrogatus, qua ratione possent ipsius familiares justitiam colere, nihilque injuriæ facere? respondit: Si semper me vobis presentem existimabitis. Quanto magis hoc de Dei presentia dici poterit? (MANSI, v.) Hinc et Josaphat Judicibus a se constitutus dicebat: Videte, quid faciatis, non enim hominis exereitis judicium, sed Domini. Sit timor Domini vobiscum. II PAR. XIX, 6.

Sapientia strictum; quia hæc fortius ad bene et juste agendum, quam lex alia quæcumque adstringet; hinc Antisthenes negabat sapientem virum obstrictum esse legibus ab homine promulgatis. LAERT. I. VI.

Amor ordinatus amicorum; sic enim non facile aut incitabimur ad malum alteri inferendum, aut ab alio inferri patiemur; id quod sapienter P. Rutilius advertit, dum amico cuidam, quod rem injustam ei negasset, querenti, dicens: Quid mihi opus est tua amicitia, si quæ ab te rogo, non impetrem? respondit: Et imo quid mihi tua opus est amicitia, si me urgere cupis, ut in justitiæ leges tua causa peccem?

Amor pacis atque concordie; sic enim suavit S. Augustinus, dum dixit: Interrogo omnes homines: Vultis pacem? Uno ore tibi respondet totum genus humanum: Opto,

cupio, volo amo. Ama et Justitiam, quia duæ amicæ sunt Justitia et Pax. Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. S. AUG. in Psal. LXXXIV, 11.

Inculcata et introspida mens; nam, ut recte S. Gregorius dixit, lucem debet aspicere, qui vult de tenebris judicare. Et iterum: Noli querere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere. S. GREG. in *Homil.*

Oratio fervens; sic enim Salomon eam impetravit, dum jussus petere, quidquid vellet, dixit: Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit. III REG. V, 9.

ASCETICA.

Tria sunt, quæ spemiliter Asceta circa hanc virtutem observare debet. Primum est, ut cum Justitia sit virtus ad jus suum cuique tribuendum inclinans, bene cognoscere studeat, quod sit jus illud, quod variis personis tribuere debeat. Nimirum, 1. Deo amorem, reverentiam, obedientiam, gratitudinem. 2. Sanctis cultum, fiduciam, imitationem. 3. Superioribus reverentiam et obedientiam. 4. Parentibus pietatem, honorem et gratitudinem. 5. Benefactoribus beneficiorum gratiam memoriam, prædicationem et compensationem. 6. Senioribus et Majoribus observantiam. 7. Aequalibus concordiam et affabilitatem. 8. Subditis prudentem directionem, liberalem sustentationem, et discretam correctionem. 9. Pauperibus compassionem, misericordiam, et liberalitatem.

Secundum est, ut magnam de necessitate et utilitate hujus virtutis estimationem tum ipse concipiat, tum aliis ingeneret; id quod triplici ex testimonio obtinere et efficere poterit. 1. S. Scripturæ, seu Salomonis, dicentis: Rex justus erigit terram. Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. 2. Sapientium Ethnicorum; nam, Plutarco teste, nihil tam egregium, nihil tam proprium Regis (quidni cujusvis etiam Christiani?) esse videtur, quam Justitiæ opus, Ciceronis judicio, jus et æquitas sunt vincula civitatum, et fundamentum perpetue commendationis et fame est Justitia, sine qua nihil potest esse laudabile. Imo, juxta Augustinum, pietate et justitia Principes *Dii* fiunt omnium hominum; nam, ut Cicero recte advertit, tanta hujus virtutis

vis est, ut nec ii quidem, qui maleficio ac scelere pascentur, possint sine ulla particula Justitiæ vivere. Hinc Hesiodus prudenter conclusit:

Hoc uno Reges olim sunt sine fine creati,
Dicere jus populi, injustaque tollere facta.

Tertium est, ut regulas quasdam discat doceatque ad Justitiæ perfectionem obtinendam opportunas, quales sequentes a Lipsio in *Politico* assignantur. 1. Nihil in penatibus venale sit, aut ambitioni pervium; quia hæc duo vitia sunt extremi hostes Justitiæ. 2. Causas reosque semper audire oportet; quia inauditi ac indefensi, tanquam innocentes perirent, Tacito teste. 3. Novæ leges parce ferendæ; nam et illud verum Taciti effatum: Corruptissima Republica plurimæ leges; certe si hoc ævum aspicias fateare, ut antea flagitiis, sic nunc legibus laborari. 4. Leges ab ipso Legislatore accurate observantur; nam in his, juxta Aristotelem, salus Republicæ sita est. Et, ut sapienter notavit Seneca: Minimum decet libere, cui nimium licet. 5. Justitiæ rigor clementia temperandus; nam invisa imperia nemo retinuit diu.

Si tamen pena infligenda sit, juxta sequentes regulas exigatur. 1. Tarde veniendum ad supplicia; prope enim est, ut libenter damnet, qui cito, Seneca teste, præstatque, Cicerone monente, vitiosas partes sanare, quam exsecare. 2. Non nisi publica utilitate suscipienda; aut certe, si propria res vindicantis agitur, dissimulet, ac vultum induat tanquam invitus, ac eum magno tormento ad castigandum veniat. 3. Ad exemplum omnia referenda, non ad ullionem; itaque ab ira abstinere, nam quis membra sua odit, cum abscondit? 4. Penæ sint e moribus receptioque usu; nam ludit, quidquid in his novum aut nimium; crudelisque merito censentur, qui puniendi causam habent, non modum: Oportet, inquit Aristoteles, supplicia mora patrio sumi. 5. Æqualitas servetur; nisi, forte aliud in nobilitas prudentia suadeat; nam et a medicis quamquam in adversa valetudine nihil servi a liberis differant, mollius tamen liberi clementiusque tractantur, ut sagaciter advertit Plinius. 6. Nunquam Legislator ipse per se supplicia exigat; nam suadente Xenophonte, ubi penarum aut coercionis res est, aliis id delegandum, ubi præciorum aut

munerum, ipsi abundant; hinc Nero, Seneca teste, subtraxit oculos, jussitque supplicia, non spectavit. 7. Si rarum supplicium a multitudine exigendum sit, omnes uno ictu feriantur, Lipsio, Tacitoque suavioribus; nam repetita et frequens vindicta, paucorum odium reprimat, omnium irritat. Incide semel, inquit Lipsius, quidquid incidendum est, et tum malagmata adhibe hæc bina: prius beneficiis in alios auctam lenitatem tuam testificare; et tum vindictam in rerum atrocium ministros derivato; gaudet enim vulgus, recidisse iram in iræ ministros, nec ullam potentiam scelere quaesitam cuiquam esse diuturnam.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione picturæ, qua Justitiæ virtus cum libra in manu pingitur, explicare potest naturam Justitiæ, et officia illius, dicereque 1. In pertica lanceæ sustinente scriptum esse: Quia mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. 2. In lingula libræ scriptum esse: In medio consistit virtus, Justitiæ præsertim. 3. In tergo dextræ lanceis: Quod tibi vis fieri, vide, ut alteri feceris. 4. In tergo alterius: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias. 5. In manubrio sustinente libræ: Statera dolosa abominatio est apud Deum, et pondus æquum voluntas ejus. Quæ omnia fusius explicari, et practicis exemplis confirmari possunt.

Ex occasione thematis: « Pondus habebis justum et verum, ut multo vivas tempore super terram; » (DEUT. XXV, 13) explicari possunt quatuor illi contractus innominati a Theologis et Juristis assignari soliti, in quibus tota fere Justitiæ praxis consistit. Dicatur ergo primum pondus seu lapidem pro libra Justitiæ esse: « Do, ut facias, » cui lapidi inscripta sit hæc sententia: Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii apud te non remaneat (TOB. IV, 13). Hunc ad dominos, qui famulos aut operarios constituunt, pertinere ostendatur, simulque demonstretur, quam æquum sit, debitam mercedem statim illis offerre; quam iniquam vero et crudele, victum aut salarium illis negare, vel parcus offerre, juxta illud S. Jacobi: Ecce merces operariorum, qui

messuerunt regiones vestras, que fraudata est a vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit (JAC. V, 4). Secundum pondus aut lapis est: « Facio, ut des; » cui inscriptum est: Si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes; estque adhibendus a famulis et operariis, ut quemadmodum illi sibi a dominis cupiunt largam mercedem offerri, ita ipsi vicissim debitas operas liberaliter exhibeant, illud S. Pauli semper in memoria habentes: Quæcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem (EPI. V, 6). Ostendatur proin, quantas habeat virtutes labor tali modo susceptus, tam in hac, quam in altera vita. Tertium pondus seu lapis est: « Do, ut des; » cui inscriptum est: Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate (PROV. XVI, 8) atque in emptione et venditione adhibendus est. Ostendatur proinde, quam vere melius sit parum cum justitia ante mortem, pro temporali benedictione obtinenda; in morte, dum cum gaudio usurpabit illud S. Pauli: Aurum et argentum, aut vestem nullius concupivi; post mortem, quia ab auditione mala non timebit, sed in memoria æterna erit justus. Cum semine eorum permanent bona; hæreditas sancta nepotes eorum. Quia tamen interdum potest quid carius vendi, ideo triplex est hoc pondus, *pium, moderatum, rigorosum*. Et præterea grana, id est, causæ excusantes ab injustitia adjici possent, nempe, 1. Si emat in gratiam venditoris aut vicissim. 2. Si multa emat. 3. Lucrum cessans. 4. Damnum emergens. 5. Affectus singularis erga rem emptam. 6. Raritas rei vendende. Quartum pondus seu lapis est: « Facio, ut facias, » cui inscriptum est: Non dimittitur peccatum, nisi restitatur ablatum. Servitque pro restitutione vel solutione rei promissæ vel debite solvenda. Ubi semper meminisse oportet sententiæ Servatoris: Si offers munus tuum ad altare, et tibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversus te; relinque ibi munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo. Usurpari etiam debet in votis Deo reddendis, juxta illud Ecclesiasticis: Si quid vovisti Deo, nec moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio (ECCLES. V, 3). Excitentur itaque auditores, ut hoc pondere studiose utantur, sicque querentes ante omnia

Regnum Dei et justitiam ejus, mereantur cætera adjici sibi.

Ex occasione sententiæ: « Si quis Justitiam diligit, labores hujus magnas habent virtutes; » (SAP. VIII, 7.) ostendi potest multiplex fructus Justitiæ. 1. Quia singulariter conducit ad bona temporalia augenda, juxta illud Christi: Querite primum Regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. (MATT. VI, 33). 2. Quia simili modo conducit ad bonam famam augendam et conservandam, juxta illud S. Davidis supra citati: In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit. 3. Quia invidiam bonæ conscientiæ conciliat, juxta illud Salomonis: Melior est buccella siccæ cum gaudio, quam domus plebæ victimis cum jurgio. (PROV. XVII, 1). Bona quippe est substantia, cui non est peccatum in conscientia. (ECCLES. XIII, 30). 4. Quia singulariter conducit ad gloriam æternam obtinendam et augendam; quia, teste Salomone: Opus justi ad vitam; fructus autem impii ad peccatum. (PROV. I, 16). Et: Non proderunt divitiæ in die ultionis; Justitia autem liberabit a morte, nempe æterna. *Ibid.* II, 4.

Ex occasione thematis: « Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo; » (MATT. XXII, 21) ostendi potest, quomodo hanc sententiam variis status observare debeant. 1. Clerici, reddendo Deo, quæ Dei sunt, id est, cultum divinum per accuratam officiorum Ecclesiasticorum administrationem. 2. Judices, observando puncta in tribunali urbis Pataviæ scripta: Excute manus ab omni munere, patienter partes audi, benigne responde, juste judica. 3. Hospites et Mercatores, ut dande Cæsari, quod Cæsaris est, id est, Principibus censionem, vel vectigal, et emptoribus, quod ipsorum est, non corrumpendo merces, non imminuendo mensuram, non pretium injuste augendo, nec merces malas offerendo; eumque in finem bina axiomata in mente assidue habeant: Male parva male dilabuntur. Et: Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. (PROV. XX, 21). 4. Operarii et Artifices, ut Deo reddant, quæ Dei sunt, non negligentes propter laborem officia religionis et cultus divini, ex altera tamen parte etiam fideliter laborantes, et a nimia mercede exigenda sedulo caventes, ne damno suo experiri cogantur, quod hæreditas, ad quam festina-

tur in principio, in novissima benedictione carebit. 5. Patresfamilias, non impediendo famulos et ancillas, quo minus debitum Deo cultum exhibere quant; e contrario autem victum et salarium fideliter persolvendo, quem in finem sæpius animo volvant tremendam illam S. Pauli sententiam: Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. (I. TIM. V, 8). Et illam Siraicidis: Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta. (ECCLES. XXXIII, 31). 6. Servi et Ancillæ, ne permittant se a cultu divino impediri, et ut fidele dominis suis servitium præstent, non ad oculum servientes, sed ex animo operantes sicut Deo. Quæ omnia facile amplificari, et variis rationibus et exemplis probari possunt.

Ex occasione sententiæ: « Et appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum; » (LUC. X, 34) ostendi potest, quomodo correctio velut actus Justitiæ vindicative suscipi, et oleum cum aceto misceri debeat; nimirum, 1. Si bene Superior studeat cognoscere errorem, et ab ipso etiam reo agnoscere faciat. 2. Si nunquam nisi pacato animo et bona intentione puniat. 3. Si ad radicem errorum evellendam tendat. 4. Si in spiritu lenitatis procedat, et sicut cælum, ab initio serenam, mox turbidam faciem, tum tonantem verbis, fulgurantem minis, et tandem omnino fulmine pœnæ convenientis puniat. 5. Si consiliarios libenter adhibeat, et admittat. 6. Si ubi effectus non respondet, non immodice turbetur, sed divinæ voluntati se suosque subditos penitus committat.

Ex ejusdem thematis occasione ostendere potest, quam multi non bene fungantur officio curationali, dum vel solum oleum, vel solum acetum infundunt. Itaque in prima parte ostendatur, quinam solum oleum affundant; nimirum, 1. Magistratus, qui omnia dissimulant. 2. Concionatores et Confessarii vitia palpantes, aut certe reprehendere non audentes. 3. Parentes, qui omnia liberis permittunt, aut certe non nisi verbis obiter castigant, ut Heli. 4. Patresfamilias dissimulantes domesticorum delicta, atque ad officium Christiani prastandum non adigentes. 5. Præceptores et Ludimagistri non corrigentes discipulos. 6. Quilibet alius, potens juvare ad correctionem proximi, sine suo gravi incommodo,

et non faciens. In secunda parte ostendatur, quinam sint, qui solum acetum infundunt, nimirum, 1. Qui ob delicta non satis probata, vel cognita puniunt. 2. Qui in ira castigant. 3. Qui ipsum reum ira astuantem corripunt. 4. Qui nimis frequenter, et quasi assidue poenas expetunt. 5. Qui nec temporis, nec loci rationem habent. 6. Qui asperitate verborum aut verberum excedunt. 7. Qui statim desperant de correctione. Excitentur proin auditores, ut Samaritanum imitantes, oleum aceto miscere studeant.

Ex occasione verborum: « Juste, quod justum est, persequeris; » (DEUT. XVI. 20) explicari possunt tres conditiones ad justum judicem et judicium requisitæ. Quarum prima indicatur per verba: *Quod justum est*, scilicet ut sciat *substantiam* officii sui in eo consistere, ut jus et factum bene intelligat, neque personas unquam respiciat, nisi ubi ratio et æquitas id persuadet. 2. Per verbum *Juste*, scilicet ut sciat *modum* et *finem* sui officii, qui est, solam Dei gloriam, Reipublicæ bonum, pacem et concordiam, civiumque utilitatem quaerere; ex qua intentione duæ aliæ virtutes magni momenti oriuntur, nempe, vigilantia, et officium suum bene administrandi. 3. Per verbum, *Persequeris*, innuitur, scilicet constantia et perseverantia in exequendo *op*, quod justum est, ita ut, ubi justitia exigit, dura, (id est, inflexibilis) sicut infernus, sit ejus æmulatio legis. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Ludov. de Ponte, t. II, de *Perf. tr. 4, c. II*.

Ex occasione verborum a Jethro olim ad Moysen dictorum: « Provide tibi viros de omni plebe, et de cuncto Israel, potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, qui judicent populum omni tempore; » (EXOD. XVIII. 21) explicari possunt aliter proprietates Judicium, et dici, quod 1. debeant esse *Selecti* ex plebe. 2. *Potentes*, id est, magna auctoritate præditi. 3. *Timentes Deum*, non homines. 4. *Veritatis*, id est, recti judicii, *avantes*. 5. *Odio avaritiam præsequentes*, ne patientur se muneribus corrumpi. 6. *Omni tempore paratos ad judicandum*, neque litem injuste protrahentes; quæ fusius digesta videri possunt apud Lud. de Ponte t. III, de *Perf. tr. 4, c. x*.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Judicii censuram ira enervat, mollior affectus præcipitat. S. BEAN. l. III, de *Consid.*

Bias damnaturus quempiam ad mortem, lacrymatus est ob miseriam hominis, et deplorandam fortunam. Verum cum dixisset quidam: Quid est, quod defleas, cum in tanto sit arbitrio, condemnare, aut liberare reum? Respondit ille: Necessarium quidem esse, nature condolare, a lege autem et justitiæ regula discedere, magis perniciosum esse. STOB. f. 44.

Phocion ab Antipatro rogatus, ut aliquid injusti faceret: Non potes, inquit, simul me amico, et adulate uti; amicus enim usque eo obsecundat amico, quoque Justitia, et æquitas patitur. PLUTARCH. in *Apoph.*

M. Cato dicebat, Magistratum nec pro justis orandum (cum oporteat ultro favere bonis) neque pro injustis exorandum esse, quia pro his orare, humanitatis exorari; autem, defectentis a Justitia est. Idem.

Herodotus vulturem pro Justitiæ symbolo assignat, cum nihil, quod vivit, attingat, nec ullum animatum occidat, ut aquilæ et accipitres faciunt. PIER. l. XVII, p. 69.

Statuæ Thebanorum Magistratum sine manibus, et oculis clausis fingebantur, ut significarent, Judicem nec manus ad accipienda munera, nec oculos apertos ad respiciendas personas habere debere. LANGIUS, in *Polyant. f. 634*.

Aristides interrogatus, quid esset Justitia? respondit: Nihil alienum desiderare. TEXTOR. in *Theat.*, l. IV, c. 43.

Mycerinus, Cleopis filius, Ægypti Rex, adeo Justitiæ erat amans, ut, si quis conque reretur de re quampiam injuste ablata, sua pecunia jacturam resarciret. Idem.

Glaucus Lacedæmonius tam celebris fuit Justitiæ zelator, ut ad eum videndum multi alienigenæ Spartam venerint. Idem.

UTILITAS. — Camillus, cum ad ipsum Phaliscos obidentem Ludimagister pueros civium, sub titulo ambulationis extra urbem ductos tradere vellet, non solum sprevit perfidiam, sed Magistrum revinctis post terga manibus, pueris dedit verberandum, et ad parentes cum plagis reducendum. Ob quod factum Phaliscæ sponte deditioem fecerunt. Idem.

Leo, Larycatidis filius, cuidam pereon-

tanti, in qua urbe tuto vivere posset? respondit: In ea, in qua incole neque nimis multum, nec nimis parum possident, et ubi Justitia viget. PLUTARCH. in *Lacon.*

DIGNITAS. — Agesilaus rogatus, utra virtus esset præstantior, fortitudo, an Justitia? graviter respondit, fortitudinis nullum esse usum, nisi Justitia adsit. Quod si omnes essent justii, nihil opus foret fortitudine, Ibid.

Trajanus Imperator Justitiam et equitatem primaria duo Principum ornamenta dicebat esse. Hinc ipse in omnium conspectu Præfecto Urbis porrigens gladium dixit: Cape ferrum, et vel pro me, si bene Justitiam administravero, vel contra me, si male id fecero, atere. NICEPH. CALLIST. l. III *Hist. Eccl. c. XXIII*.

JUSTITIA VINDICATIVA. — Moysen et Aaron virgas gestarum indices regiminis, sed aridas, quæ ex terra nihil humoris atrahere poterant; ut insinuarent, Judices, nihil ex bonis litigantium ad se trahere debere. FABER, in *Auct. Th. 5. in Festo S. Barth.*

Salomon porticum, in quo tribunal erat, cedrinis lignis a pavimento usque ad summitatem textit, ut indicaret, Judices, perinde ut cedros, rectos et incorruptos esse debere. REG. VII.

Athenienses ante Judicium concessum porcellum mactare jubebant, coque sedilia judicantium aspergi, ut scirent, innocentium sanguine se aspersum iri, si innocentem funderent. SIGOX. apud *Cant. l. V*.

Cum Ptolomæus alicis Judens, puerum, nomina damnandorum ad mortem; legentem audiret, Berenice uxor e manibus chartam puero eripuit, dicens, non similem esse lesereram et corporum causam. Quo audito Ptolomæus multum delectatus, nunquam postea inter lusum de capitalibus causis decrevit. ÆLIAN. l. XIV. *Var. Hist. c. XLV*.

Deus ipse dixit: Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverit. An non est, ita ut sciam; ut doceamur, inquit Philo, ne quis homo de adolescentibus, et futuris, et incertis patet se facere posse conjecturam, sed prius maxime prospicere debeat? PAULO, de *confusione linguarum*.

AXIOMATA.

Fiat justitia, pereat mundus.
Justitia sola Respublica sustentatur.
Summum jus, summa injuria.

AUCTORES.

Ludov. de Ponte, t. 4, de *Perf. tr. 4. cap. 3. et 6. Item, cap. 11.*
Joannes Buseus, in *Vidario virtutum. V. Justitia.*
Jacobus Alvarez, t. 2, de *Perf.*
Petrus Sanchez, in *Regno Dei, p. 6. c. 7.*

LABOR.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est, juxta Ciceronem, functio quedam animi vel corporis. gravioris operis vel muneris. Vel brevius: Est seria occupatio hominis. CICERO, l. II, *Tusc.*

DIVISIO. — Dividitur in laborem *mentalem* et *corporalem*. Ille est, quo animus, seu mens, potissimum exercetur, uti est studium, meditatio, etc. Iste est, quo corporeæ vires precipue occupantur, uti sunt artificum et operariorum ac servorum occupationes.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Tulit ergo Deus hominem, et posuit eum in Paradisum voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum. GEN. II.

Vade, piger, ad formicam, et considera viam ejus, et discite sapientiam; que cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in aestate cibum sibi, et congregat in messe, quod comedat. PROV. VI, 6.

Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo. ECCI. VII, 16.
Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem sterit in aestate, filius confusionis. PROV. X, 5.

Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua; quia nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud; et si utrumque simul, melius erit. ECCI. XI, 6.